



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Militia Immaculatae Conceptionis Virginis Mariae, Contra Malitiam Originalis Infectionis Peccati**

**Alva y Astorga, Pedro de**

**Lovanij, 1663**

N.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13965**

ceptionis imagine & hac inscriptione: Sub tuum præsidium con. Ex aduerso erat effigies eiusdem Pontificis. Item, anno sui Pontificatus 20. excudit alteram monetam eiusdem magnitudinis & formæ cum eadem inscriptione, scilicet: Sub tuum præsidium con. Item, anno 14. sui Pontificatus alteram monetam dictam Tolton cum eadem inscriptione: Sub tuum præsidium, & ex aduerso effigies Pontificis. Item, edidit alteram eiusdem magnitudinis præterita, diversam tamè in omnibus, in qua non potui bene distinguere an fuerit anno 11. vel 12. vel 14. cum eisdem litteris: Sub tuum præsidium. Item, anno sui Pontificatus 20. edidit alteram cum eadem inscriptione: Sub tuum præsidium, & ex aduerso stemmata Barberina, scilicet Apes. Item, anno sui Pontificatus 20. edidit alteram in omnibus diversam à præcedenti cum eisdem insignijs. Item, eodem anno edidit monetam parvam, id est, iulium, cum eadem imagine Conceptionis & stemmatibus. Item, edidit alteram dictam grossum cum eadem imagine Conceptionis, & ex aduerso stemmata Barberina. Item, Innocentius X. Pontifex Maximus sui Pontificatus anno 2. excudit monetam cum imagine pulcherrima Conceptionis & hac inscriptione: Unde venit auxilium mihi. Item, Alexand. VII. Pont. Max. edidit monetam argenteam cum imagine Concept. De qua latè Euseb. Nierberg. in Opusculo speciali

**MONET** Magister Valentinus, cum in Ecclesia majori Valentina prædicasset contra Immaculatam Virginis Conceptionem exulavit è toto Regno, seque ad civitatem Salmantiensem contulit; in qua adedè devotus extitit *Immaculatissime Matris Dei Conceptioni, ut pro eius gloria & immunitate plures postea prædicaverit Serm.* Vide Morenum in lib. de Concep. cap. 5. fol. 363. & Append. Regest. Arm. Seraph. col. 665.

**MONSIEUR** de Languetterre Gallus, in libro dicto: *L'esclave de la Vierge MARIE*, à fol. 52. in mancipio tertio de Innocentia Virginis, agit de eius puritate & præsertione à peccato originali, & quòd, quamvis sit ex radice Adæ, non contraxit ejus amaritudinem, &c. per totum Caput, quod latissimum est. Lugduni 1624. in 8.

**MOSSEN** Antonius Latre Hispanus, edidit tria Hieroglyphica circa Immaculatam Conceptionem Virginis *MARIE*, & extant in libro de Concep. Sanct. Zapata, fol. 144.

**MURCIA** de la Llana Doctor Hispanus, in libro Rhetoricorum, part. 1. centuria ultima de Christo Domino & Immaculata Virgine *MARIA*, &c. fol. 142. inquit: Primus igitur à vaticinijs, præsignificationibus, adumbrationibus Prophetarum, Regum, Patriarcharum; quæquidem vaticinationes declarant summam hujus Virginis sanctitatem ab omni, etiam originali macula semper liberam, &c. Lib. impress. Matrini 1629. in 4.

**MUTIUS** Justinopolitanus Italus, in lib. Della Beata Vergine incoronata, de Conceptione ac Nativitate Virginis *MARIE* Caput unum, quod est primum in libro impress. Pefari 1567. in 4. & Mediolani 1585. etiam in 4. à fol. 9. Et in oratione ligata, fol. 69. inquit:

*Vergine sola al mundo preservata  
Dál mortal nostro universal defetto.*

Quæ verba B. Virginis omnimodam puritatem & à peccato originali præsertionem indicant.

**MUTIUS** S. Forcia Monopolitanus Italus, de Conceptione B. *MARIE* Hymnum unum in suo lib. Hymnorum, fol. 215. Impress. Romæ 1593. in 8.

N

**NAPOLEON** Comitoli, Episcopus Perusinus Italus, in libro Centum triginta Privilegorum gloriosæ Virginis *MARIE* Matris Dei, post alia privilegia de ejus electione ac prædestinatione, Privileg. 9. *Quòd fuit concepta MARIA absque macula peccati.* Privileg. 10. *Quòd Conceptionis Virginis MARIE incluse in ventre materno, primò celebravit Angeli in celo.* Privileg. 11. *Quòd MARIA fuit à Deo dilecta supra omnes creaturas.* Privileg. 12. *Quòd præcipue venit Filius Dei pro redimenda MARIA, quam pro omnibus alijs creaturis.* Privileg. 13. *Quòd gratia MARIE superavit omnes gratias omnium creaturarum, etiam simul sumptas.* Privileg. 17. *Quòd non fuit in MARIA fomes ad malum.* Privileg. 18. *Quòd in eodem tempore fuit in MARIA essentia & gratia.* Privileg. 19. *Quòd fuit MARIA impeccabilis à sua Immaculata Conceptione.* Privileg. 20. *Quòd MARIA meruit cum esset impeccabilis.* Privileg. 21. *Quòd MARIA habuit ab instanti sue purissime Conceptionis liberum arbitrium operans & in actu.* Privileg. 22. *Quòd MARIA fuit sanctificata in sua Conceptione concurrente cum usu liberi arbitrii.* Privileg. 23. *Quòd MARIA in ventre materno habuit eminentissimam scientiam.* Impress. Perusii anno 1615. in 4.

Item, in Decretis & Monitis Synodalibus Perusinis inter festivitates enumeravit Conceptionem Virginis *MARIE* Domine nostræ, ut constat ex lib. impress. Perusii, fol. 19. cap. 8.

**NASSO** vel Hasso Senior, natione Germanus & Pastor Francofordiensis, contra Wigandum Wirt seu Cauponum strenuè dimicavit pro Immaculata Virginis Conceptione, ut colligitur ex Dialogo ejusdem Wigandi. Impress. Oppenheim in 4.

**NATALIS** Beda, Doctor Paris. edidit in Jacobum Fabrum Stapulensem Commentaria sive impugnationes, ubi fol. 25. à tergo, littera D. impugnat quinq; propositionibus Fabri, ad finem confutationis earum sic inquit: Sunt hic militiæ Christianæ decem non gregarii milites, sed duces invicti, quibus quòd per Scripturas sacras convincitur originale peccatum in singulis Adæ filijs communi naturæ modo genitis (*Sæcula Dei Matre dempta*) esse, & non obligationem ad mortem seu mortis debitum; sed mortem illius esse pœnam, &c. Lib. impress. Parisiis 1526. in fol.

**NATAL** Gaber, Ordinis Beate *MARIE* de Mercede Redemptionis Captivorum Generalis, in Historia suæ Religionis affirmat: Quod portent vestes omnino albas in signum puritatis, vel (ut alij dicunt) in signum utriusque puritatis Virginis *MARIE*: nomine autem puritatis semper intelligit Religio illa puritatem Conceptionis Virginis, ut affirmat Sylvester de Saavedra in libro de Sacra Deiparâ, disp. 16. sect. 14. num. 653. folio 349.

**NAZARIUS** quidam absque alio nomine, edidit aliquos Sermones, præcipuè de Nativitate Virginis, & primus est super illud: Sapientia ædificavit sibi domum. 2. Orietur stella ex Jacobo De Assumptione verò habet duos; primum super illud:

illud: Surge Domine in requiem tuam & alteram: Tota pulchra es amica mea & macula non est in te, ubi pluries affirmat in *Virgine non fuisse maculam ullam*. Extat in Bibliot. S. Victoris, num. 875. in folio.

N. Hernart, Archidiaconus de Argone in Ecclesia Verlunen. & Vicarius Generalis Episcopi Gallicus, in libro dicto: Sermons sur les sacrés mysteres des principales solempnités de l'année, fol. 78. sermone de Purificatione B. Virginis 2. asserit quod *Virgo MARIA fuit exempta ab omni peccato, &c.* Parisiis 1604. in 8.

NICASIUS Baxius, Ordinis Eremitarum S. Augustini Belga, in libro: Orationes Sacrae in laudem Salvatoris nostri Jesu CHRISTI, Beatae MARIE Virginis & aliquot Sanctorum, fol. 123. Orat. 8. in laudem B. MARIE Virginis, concepta sine peccato originali, ubi late & eruditè de ejus preservatione. Item, ibidem, fol. 371. in Oratione de laudibus B. MARIE Virginis post plura, sic inquit: *Isom Conceptionis privilegium contemplamini. Quid miraculosius, quam arcem illam, qua verus Noachus pater ille utriusque sæculi, qui & habitavit in nobis & aternitatem non deseruit, novem menses exceptus est, ita fuisse compactam ex lignis lævigatis, ut ne quidem peccati originalis scabres illam exasperaret?* Lib. impress. Antuerpiæ 1638. in 8.

NICASIUS Roels, Societatis Jesu. Belga, in Theibus de Peccatis, habitis Lovanii diebus 21. 22. & 23. Novembr. 1650. hæc defendit: *Dicitur de originali & illius debito. Desperam non concernunt, que utroq; immunitas fuit.* Impress. ibidem in 4.

NICEPHORUS Calixtus, Xantopolus Græcos, in lib. Ecclesiastica historia, libro 1. cap. 7. folio 55. inquit: Postquam enim perfici atque exhiberi debuit ingens illud naturamque omnem longè superans mysterium, opus fuit prius intrare & præparare vas, quod eum (qui incomprehensibilis est) comprehenderet. *Inventa itaq; est Virgo MARIA dignum, Deumq; decens Verbi domicilium man ante Nativitatem Deo consecrata, atq; ex membris sensibus & longè à naturæ fervore alienis tanquam quidam divinitus datus fructus producta.* Joachim & Anna parentum erant nomina, ambo accuratiorè juxta scriptum Legis vitæ præstantes & clari, nec non primis quibusque & splendidissimis, nobilissimisque genere connumerati. Vitam autem ad benedicturam sine prole edita produserant: erat enim ad liberorum procreationem Anna alvo infans, & cum ob sterilitatis causam non haberet commune cum matris & matribus à lege tributos honores, exemplo matris Samuelis; ipsa quoque sit supplex Deo & in templo sedulo veretur, ne scilicet à benedictionibus legis excluderetur; sed ut ei matrem esse liceret orans, ac quod paritura esset, ipsi Deo dicaturam se esse, vovens. Sed enim divino nutu ad eam quam petierat gratiam Anna confirmata atque roborata, postquam puella è matris prodiit locis, *MARIAM eam statim nominavit ænigmatè lauter à Deo acceptam gratiam declarans.* Ut verò infans à lacte materno jam abhorruit & mammam attingere noluit, promissionem mater adimplet, & in templum ascendens juxta votum eam Deo consecrat, tertium jam tunc ætatis agentem annum, &c. Hæc Nicephorus. Lib. impress. Basileæ 1560. in folio, & Parisiis 1574. in folio, & 1566. in 8.

Ex quibus verbis evidenter constat, quòd in sententia Nicephori *MARIA* fuit ante Nativitatem suam Deo consecrata, quæ consecratio fuit facta per Spiritus Sancti sanctificationem. An verò hæc sanctificatio vel consecratio fuerit facta in primo instanti vel post alicuius temporis intervallum, non declaratur à Nicephoro; sed ejus mens ac sententia ex illis infrascriptis verbis: tanquam quidam divinitus datus fructus producta, colligi potest; nam si *MARIA* fuit genita vel producta in matris visceribus tanquam quidam divinus fructus, si in primo instanti fuit fructus; igitur in primo instanti fuit divinitus, vel tanquam divinus fructus. Tunc sic: in fructu divino quomodo poterat esse maledictio vel originale peccatum? Sunt enim termini repugnantes fructus benedictus & fructus maledictus pro eodem tempore vel instanti. Vel sic explicanda erit hæc auctoritas: Christus Dominus in sua Conceptione fuit divinus fructus absolute & simpliciter, juxta illud: *Benedictus fructus ventris tui.* *MARIA* verò in matris visceribus & sua Conceptione non fuit divinus fructus absolute & simpliciter, sed ut argute dicit Nicephorus, tanquam quidam divinus fructus, id est, non fructus divinus ut Christus in quo nec potuit esse nec fuit peccatum originale; sed solum tanquam divinus fructus: quia licet potuit habere maculam originalem, illam tamen nec habuit, nec contraxit; & sic *MARIA* ad similitudinem fructus divini dicitur à Nicephoro genita & concepta. Deinde illam ultimam perpendo clausulam: Anna, postquam sanctissima puella ex matris prodiit locis, statim eam *MARIAM* nominavit propter ænigma latens suæ acceptæ gratiæ. Hoc ænigma meo judicio Conceptionem respicit virgineam, & verbum illud: statim, ænigma illud Conceptionis declarat, quod sic expendo. Quare vel quam ob causam Anna post Nativitatem *MARIÆ* statim ei nomen imponit? Apud Hebræos mos erat post octo dies suis nomina filiis imponere, ut omnes fatentur Scriptores; quare igitur *MARIÆ* præter rerum ordinem, neq; post horam, sed statim nomen imponitur? ut sic declararetur ænigma acceptæ gratiæ (inquit Nicephorus) quia in eo quòd statim nomen imponitur *MARIÆ*, declaratur quòd statim in matris visceribus *MARIA* recepit gratiam. *MARIA* in matris visceribus non post hebdomadam, diem vel horam à sua generatione vel animatione recepit gratiam; sed statim, id est, in illo instanti, in illo puncto in quo fuit genita. Ideo Anna, id est, gratia statim nominat *MARIAM* illuminatam, ut sic statim in nomine declararetur vel illuminaretur ænigma latens in instanti Conceptionis, & ex instantanea acceleratione nominis propalaretur illud ænigma instantaneæ sanctificationis, in quo *MARIA* in matris visceribus accepit gratiam. Item, lib. 1. Hist. cap. 78. inquit: Oportebat enim clarissimo gratiæ receptaculo & vasi nihil reprehensionis, indignitatis & injuriæ inferri, quod nimirum vel ipsis solis radiis sit splendidius & illustrius, &c. tantum enim à piculo & macula omni abest, ut etiam longè supra naturam sit ista in utero fetus gestatio, &c. Nota illud: ab omni macula abest, & si ab omni; ergo etiam ab originali. Item, lib. 15. cap. 14. fol. 799. vocat Virginis *MARIÆ* corpus *Immaculatum, impollutum, & modis omnibus sanctum, &c.* Vide verb. Juvenalis Hierosolymitanus.

Z z z

Item,

Item, libro 1. cap. 40. refert staturam & effigiem Christi Domini, & folio 89. concludit sic: Per similes denique per omnia fuit *divina & Immaculata suae Genitrici*, &c. Cum absolute appellet Virginem MARIAM Immaculatam, absolute est intelligendum, id est, de corpore & anima.

**NICEPHORUS**, Constantinopolitanus Archiepiscopus Sanctus, in Epistola ad Leonem III. inquit: Inhabitans enim in utero sanctissimae, *incontaminatae Dei Genitricis Virginis MARIE*, & in animo & in carne praemundata Spiritu, &c. Intercessionibus *Immaculatae & incontaminatae eius Matris*, & omnium Sanctorum, &c. Hanc invenies apud Baronium tom. 9. fol. 571. ad ann. 811. Vide Joannem Euseb. in libro Exception. cap. 13. folio 179. Salazarium saeculo 9. Serran. lib. 2. cap. 22. num. 8. Leonem classe 9.

**NICETAS** Auctor Graecus, & Episcopus Scytharum, in Catena Patrum Graecorum impressa per Balthasarum Corderum, in Matthaei cap. 1. folio 23. vocat Virginem MARIAM *purissimam*. Impress. Tolosae 1647. in fol.

**NICETAS** Magnus, Logotheta dictus, sive Cancellarius Colloensis, natione Graecus, in Commentario in Oration. vigesimam Sancti Gregorij Nazianzeni Theologi, per Jacobum Billium nonnullis additis ex Nonno Monacho, column. 784. num. 100. inquit: Jam verò Jacobi scalam (per hanc scalam ait Nicetas) fortasse significatur Virgo MARIA, per quam Altissimus ad nos descendit, ut corruptam naturam sanaret, &c. At verò lucta illa Dei cum homine, virtutis humanae cum divina comparatio est: unde etiam colluctationis notas Jacob in corpore gerit procreatam naturam victam esse indicans: nam de Philonis Judaei sententia, virtus in corpore mortali haudquaquam est rectipes, verum quasi torpore correpta non nihil claudicat: obtorquet enim (inquit Scriptura) latitudo femoris, & claudicabat. Femur autem generationis signum est, quod quidem genitale membrum circa femur est, &c. Femoris dolor humanam generationem victam esse significat, &c. Lib. impress. Lutetiae 1611. in fol.

Item, in Commentatio in Oration. 51. col. 1275. inquit: Ac rursum misit Deus Filium suum unigenitum factum ex muliere. Non dixit: per mulierem, ut videlicet ipsi, qui Dominum per Virginem tamquam per canalem prodijisse nugabantur, infamiae notam inureret. Deiparam autem Christiparam idcirco Sanctam Virginem dicimus, quoniam ad submovendum ac de medio tollendum Deiparae vocabulum, & in contemptum verè supra res omnes conditas honoratae Deiparae, &c. Auctor iste antiquus in praedicto libro non est contra piam sententiam.

Item, in Thesauro orthodoxae Fidei cap. 32. & 38. & in ordine baptizandi Sarracenos, vocat Virginem MARIAM *sanctissimam, purissimam*, ac nostrae massae primitias, quae verba de Immaculata Conceptione explicat Eusebius Nieremberg. lib. de Exception. cap. 26. folio 473.

**NICOLAUS** Albanensis Anglus (postea summus Pontifex Adrianus IV. vocatus) edidit de Conceptione Beatissimae Virginis ad Petrum Pontinicum librum unum. Obijt anno 1595. Ita Marraccius in Pontif. Marian. folio 82. & in Bibliotheca folio 12. Circa annum est error typographia,

nam obiit anno 1155. Vide Posslevinum in Apparatu sacro, Tamayum ad annum 1155. Eusebium cap. 10. folio 84. de perpet. objeet. Concep. & in lib. de Excep. fol. 462.

**NICOLAUS** Almazan, & Leon Hispanus, scripsit votum factum à Villa Almagri pro defensione *Immaculatae Conceptionis Virginis MARIE*, ut constat ex juramento impress. 1653. in folio.

Item, scripsit Discursus in quodam Memoriali ad Philip. IV. Hispaniarum Regem circa lapidem repertum in oppido de Valdepeñas, in quo ex ipsius lapidis materia extat scriptum in utroque latere: *Ave MARIA Virgen y Madre de Dios concebida sin pecado original*, &c. Vide de hoc supra verb. Ludovicus à Conceptione.

**NICOLAUS** Archiepiscopus Rothomagensis, Oratorij Jesu Presbyter, in libro dicto Gallicè: Les grandeurs sur-éminentes de la tres-Sainte Vierge MARIE Mere de Dieu, &c. in tabula pro Concionatoribus ad calcem libri adducit festum Conceptionis die 8. Decembris; ubi citat quatuordecim loca diversa pro ejus praeservatione à peccato originali, vocatque *Conceptionem sanctam, sanctissimam, puram, Immaculatam*, &c. ut videre est in libro impress. Parisijs 1638. in 4. folijs ibidem citatis.

**NICOLAUS** de Arnaya, Societatis Jesu Hispanus, composuit Tomos tres sub hoc titulo: Conferencias spirituales utiles para todo genero y estado de personas, &c. quos dicavit Virgini Deiparae MARIE sic, tomo 3. folio 1. Dedicados à la serenissima Emperatrix del cielo, Madre de Dios y Señora nuestra *libre de la primera culpa*. Lib. impress. Hispali 1618. in 4.

**NICOLAUS** de Aufmo, Ordinis Minorum Mediolanensis, composuit librum sub hoc titulo: Supplementum summæ Magistrutiae, seu Pisanelle dictæ ad annum 1444. in quo verb. Ferriæ, folio 150. inquit: De festo Conceptionis Beatae MARIE Virginis dicendum secundum D. Thomam in 3. part. quaest. 27. quod licet Romana Ecclesia ipsum non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud festum celebrantium. Unde celebritas non est totaliter reprobanda; sed nec propter hoc quod festum Conceptionis celebratur, datur intelligi, quod in sua Conceptione fuerit sancta: sed quia quo tempore fuerit sanctificata, ignoratur; celebratur festum sanctificationis ipsius. Lib. impress. Venetijs 1485. & sunt ad litteram verba Pisani Dominicanum. Cum iste Auctor sit ex Ordine Minorum, & ita fideliter retulerit verba Pisani, discamus fideliter Auctorem verba referre.

**NICOLAUS** Basilius, Monachus Hirsangienensis, in Additionibus ad Chronicon Naucleri, folio 106. de eo quod anno 1509. pridie Kalendas Junij contigit apud Bernam in Helvetia circa quatuor Patres Dominicanos Priorem, Lectorem, Superiorem & Procuratorem domus, & mysticam *Immaculatae Conceptionis Virginis MARIE*, &c. Vide Martinum del Rio Disquisit. Magic. libro 4. cap. 1. lect. 4. tom 2. & Hugonem Cavellum in Rolario Beatae MARIE, saeculo 16. Lib. impress. Antverpiae 1620. in folio.

**NICOLAUS** Belfortius, in Calendario ad diem 8. Decemb. *Conceptio B. MARIE*, &c. Extat manus. Parisijs in Biblioth. Thuana num. 775.

**NICOLAUS** de Bloni, Decretorum Doctor Italus,

Icalus, in lib. suorum Sermonum, Sermon 5. de sanctissima Conceptione Beate MARIE Virginis. Extrat vetustissimis characteribus impress. absque foliatione Argentinae, anno 1468. in fol. scripti verò fuerunt sermones, anno 1538. ut colligitur ex serm. 113.

NICOLAUS Bonetus, Ordinis Minorum, scripsit Tractatum de Immaculata Conceptione Virginis MARIE, ut refert Hippolytus Marraccius in Bibliotheca, & in Catalogo ad annum 1525. sub nomine Bonetus N. Potest esse hic, quem Waddingus fol. 163. vocat Nicolaum Bonetum, qui scripsit Postillam in Genesim, in libros Sent. & alia. Vide Dazam de Concept. cap. 6. fol. 48.

NICOLAUS Bovrè, Bachalaureus Theologus, Socius Cholætus, Præfide M. Guilielmo de la Brunebieri du Plessis de Gestè, Doctore Parisiensis & Parisiensis Ecclesie Briæ Archidiacono, in minore ordinaria die 29. Maij 1657. agendo de penitentia, & quibus fuerit necessaria, sic inquit: Utrum verò in Christo Domino fueris, in beatissima Virgine, beatis Angelis, primis parentibus in statu innocentie? problema esto. Hic opponitur in B. Virgine non fuisse peccatum originale, licet nec in Christo, beatis Angelis, &c. Impress. in charta expansa.

NICOLAUS Bravus, Abbas Ordinis Sancti Bernardi, in libro dicto: Marial y decenario de Rosas de la Madre de Dios para diez principales fiestas suyas, Rosà prima de purissima Conceptione Virginis MARIE Matris Dei, à fol. 1. usque 26. Lib. impress. Matriti 1652. in 4. cum imagine Immaculatae Conceptionis.

NICOLAUS Brucasenus, Ordinis Prædicatorum Tarvisinus (Summus Pontifex renuntiatus & in sua coronatione Benedictus XI. dictus) scripsit super Matthæum Commentaria à R. P. Gregorio Lazaro Tarvisino recognita & impressa Venetijs 1603. in folio; & capit. 5. ad illa verba: Beati misericordes, fol. 21. colum. 3. hæc habet: Beati sunt pauperes spiritu, id est, illi quos voluntas, non necessitas pauperes facit: vel pauperes spiritu, quia scilicet in se non habentes unde humili & abjecta de se sentiant, tamen bona quæ in eis sunt non reputantes in se à se esse, se ipsos despiciunt & totaliter se Deo subdunt; qui etiam pro nulla aduersitate vel defectu eis contingente exasperantur; sed in mansuetudine spiritus perseverant. Sed tamen, quia dum homines in presenti vita degunt, quantumcumque perfecti sunt, hanc vitam sine peccato non ducunt, iuxta illud. 1. Joannis 1. Sidixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus & veritas in nobis non est. Et Eccles. 7. dicit: Non est homo iustus in terra qui faciat bonum & non peccet; in multis enim offendimus omnes, ut dicitur Jacobi 3. & ut dicit Augustinus in libro de Natura & Gratia, cap. 36. Excepta sancta Virgine MARIA, de qua propter honorem Domini nullam proisus eum de peccatis agitur habere volo questionem. Inde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuit ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes sanctos & sanctas cum hæc viverent congregare possemus, & interrogare utrum essent sine peccato; quid fuisse respondenturos putamus, nisi quod Joannes Apostolus ait: Si dixerimus, quod peccatum

non habemus, nos ipsos seducimus & veritas in nobis non est; &c. In indice hujus libri Nicolai sic indicatur iste locus: MARIA Virgo immunis à peccato.

NICOLAUS Causinus Trecentis, Societatis JESU, in lib. Eloquentiæ Sacræ &c. libro 14. capite 9. folio 601. Panegyricorum sacrorum magnam & uberem esse materiam in sanctissima Virgine MARIA Dei Matre, inquit: Quam obrem ubi stellis mens purior & tot exquisitis affluens ornamentis illapsa est in corporis conubernium, non est illi injecta fax ista fæda, quæ à nostri generis auctoribus primùm accensa, latissimè in totum postea genus deflagavit; sed ut puro & micanti auro saphyrus, aut adamas purior inolefcit; sic illibato corpori castissimus animus Dei ita dispensantis manibus inditus est, ut nulla conceptæ Virgini labecula generis adhaeresceret, &c. Alia quamplura vide ibi. Lib. impress. Parisijs 1619. in fol. & alibi.

NICOLAUS Chamart, Monasterij Bonæ-Spei Ordinis Præmonstratensium Abbas, adducit notas marginales in quibus Virginem eximit à peccato originis, ut videre est in libro impress. Duaci 1621. in fol.

NICOLAUS de Christianis, Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, in libro de Actis Capitulum Generalium in sua Religione à principio emanatis, cap. 12. de Valentino in Hispania, anno 1541. Quomodo recitandum sit officium divinum in festo Conceptionis Virginis MARIE. Lib. impress. Venetijs 1596. in 4.

NICOLAUS Christophorus Badzivilius, Princeps ac Dux Olicæ, &c. in Jerosolymitana peregrinatione primùm à Thoma Treterò custode Varmensi ex Polono sermone in Latinum translata, fol. 60. inquit: Manè ex Monasterio egressi per civitatem euntes, prope portam ad levam defleximus ad domum Joachimi, in cujus parte inferiori sunt habitationes aliquot; in quibus ostenditur conclave Beatissimæ Virginis & locus Nativitatis eius, cum nonnulli velint eam ibidem Jerosolymis natam. Indulgentia hic annorum & quadragenarum septem, &c. Lib. impress. Antwerpæ 1614. in fol. In hac domo fuit concepta MARIA secundum omnes Auctores; ideo existimo, quod illud natam sumat pro Nativitate in utero: & si non rectè intelligitur sic, excludatur.

NICOLAUS Cichovius, Societatis Jesu Germanus, edidit Librum sub hoc titulo: Angelici Doctoris S. Aquinatis de Beatissima Virgine Deiparæ Immaculata Conceptione sententia è multis ejus operibus studiosè collecta; in quo tria præcipuè nititur probare. Primum, Angelicum Doctorem nullibi nec verbulo quidem impugnasse Deiparæ à labe originali præservacionem. Secundum, Angelicum Doctorem disertissimè locis ibi relatis docuisse Deiparæ puritatem ad eam omnis maculæ originalis expertem, ut quoad recessum à malo per hoc solum à puritatis divinæ excellentiæ defecerit, quod aliquo modo peccare potuerit. Tertium, concipi sine originali peccato S. Thomæ temporibus longè aliud ab eo, quod nunc per ea verba intelligimus, significare, &c. Vide ibi. Lib. impress. primò Poloniæ, anno 1651. secundò Viennæ Austriae, anno 1660. in 12. regali.

NICOLAUS Codenus Romanus, Auroræ tertiam

tiam Salutationem exemplo Tyriorum carmine recitavit pro *Immaculata Virginitate Conceptione*. Romæ 1630. in 4.

NICOLAUS Cooffeteau, Ordinis Prædicatorum Gallus & Episcopus Massiliensis, in libro Gallicè inscripto: *Tableau de l'innocence & graces de la bien-heureuse Vierge MARIE Mere de Dieu* Reyne des hommes & des Anges, cap. 5. seu 5. discursu, in quo agit latè de puritate Conceptionis Virginis & aliarum gratiarum, quibus Deus ipsam decoravit ab initio sui esse, &c. illam immunem à peccato originali, præservatam à culpa, atque Immaculatissimam ab instanti suæ Conceptionis asserit & defendit, à folio 111. usque 183. Lib. impress. Parisijs, anno 1623. in 12. magno. Et licet hic millies tenuerit piam sententiam, in aliò libro non ita expressè loquitur.

Item, in libro pro Monarchia Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ adversus rempublicam Marci Antonij de Dominis quondam Archiepiscopi Spalatenfis, &c. lib. 1. cap. 9. fol. 220. inquirens, an Christus suis manibus baptizaverit D. Petrum? inquit: Quod verò negat Augustinus Dominum quemquam suis manibus baptizasse, Evodij sententiam non evertit. Potuit enim Christus singulari privilegio à communi lege Apostolorum Principem (quod etiam de Beatissima Virgine quidam asserunt) eximere. Lib. impress. Lutetia Parisiorum 1623. in folio magno. Hæc Virginis MARIE exemptio videtur respicere baptismum. Nam si hoc privilegium & exemptio respiceret originale peccatum, ita ut faceret hunc sensum: Petrus exemptus est inter Apostolos à regula universali Augustini, quia particulari privilegio baptizatus fuit à Christo Domino; sicut etiam Virgo MARIA exempta dicitur à regula universali Pauli, quia particulari privilegio fuit concepta absque peccato originali; non quidem dissentiret à verbis istius auctoris: sed quamvis hæc illatio, seu discursus non sit constans, constat tamen, quod admittit exemptionem in Virgine à regula generali, & quod si negaret Conceptionem Immaculatam Virginis MARIE, possemus arguere ad hominem, dicentes: Quamvis dicat Paulus, quod omnes in Adam peccaverunt, Scoti sententiam non evertit; potuit enim Deus singulari privilegio à communi lege eximere Beatissimam Virginem, sicut Petrum exemptit à communi lege baptismi. Militet ergo nobiscum, dum nihil contradicit.

NICOLAUS de Crutzenach, Spanhemensis Germanus, scripsit Librum unum de purissima Virginitate MARIE Conceptione. Ita Hippolytus Marraccius in Catalogo ad annum 1491. & in Bibliotheca, folio 162. Leon classe 6. Postevinus in Apparatu sacro, tomo 2. fol. 147. Pistoia fol. 152. Sculthingius tomo 2. folio 44.

NICOLAUS de Cusa seu Cusanus, S.R.E. Cardinalis Germanus, in libro 5. Exercitationum, in sermone: *Benedicta tu in mulieribus*, folio 480. inquit: Sicut Eva fuit in Adam & ex illo sine femine educta est mater viventium; sic de MARIA Christus. MARIA enim erat illa mater, quæ circumdabat virum, qui est Christus: & sicut Eva vocatur prima mater viventium, ita MARIA secunda mater. Nam ipsa MARIA nomen sortitur ex secundo Adam, scilicet viro quem circumdedit, sicut prima

ex Adam virago. Et attende, quod si semen tritici seminatur in terra pluries, aut plus & plus in bona terra melioretur, & in fine fit optimum: & illud triticum censetur semen Abrahæ, & terra optima corpus Virginis gloriosa: & fit quasi ex tritico panis, cujus portio recipiatur & convertatur in corpus Christi per virtutem Spiritus sancti. Sicut per Sacerdotem in Altari transubstantiatur, sic censendum est semen Abrahæ, quod latitabat in semine de quo nata est Virgo MARIA, esse purissimum in materia, de cujus substantia erat & est transubstantiatio facta, quia in substantiam Jesu conversum est virtute Spiritus sancti, &c. Vide alia in eodem sermone. Item, in eodem libro 5. ex sermone: *Cælum & terra transibunt*, verba autem mea non transibunt, folio 494. inquit: *Virgo gloriosa cum esset prædestinata ante secula, ut ex ipsa reciperet Dei Filius naturam humanam, ut Dei Filius heret Filius hominis, ita concepta est, ut dignum ad hoc habitaculum fieret. Induere se debuit Deus humanitate MARIE, quare humana natura Virginis digna facta est ab initio: nam est ipsa concepta fuit ex virili semine via propagationis, ab Adam, & quantum ad suum initium indiguit liberatore, quia in Adam, nisi liberentur aut præserventur, omnes moriuntur, ut in Christo omnes, qui vivificantur; tamen sicut anima ejus rationalis nullo tempore fuit antequam esset corpori unita, ita ipsa dum crearetur, sancta erat sui, sic etiam quod nulla duratione fuit verum dicere Virginem fuisse sub peccato: secundo enim instanti nature ipsa ex Adam non fuit uti omnes indigens gratia, quam assequuntur quando possunt, sed non possunt nisi prius sint capaces, hoc est, post infusionem anime, quæ tota est capax gratiæ. Gratia igitur affuit ei in creatione quado ipsa fuit capax ejus, ita ordine nature non prius fuit uti omnes ex Adam, sed allecra est prius omnibus gratiam. Nam Joannes Baptista & Hieremias sanctificati in utero citius sanctificari potuerunt, Virgo autem non. Unde in nullo instanti aut nature aut temporis, quod sequitur instantans nature & post unionem anime & corporis, fuit sub peccato. In umbra enim & in animalitate ex terreno Adam nascimur, quæ quidem umbra in nobis non illuminatur actu per supervenientem radium rationis, sive animam rationalem: quoniam nisi scintillam secum ducit in similitudine lucis intelligentiæ, &c. Opera enim spiritus neclunt moras, cui subitaneo operi assimilatur illuminatio sensibilis. Nam sole in oriente existente sine mora radius illuminat occidentem; sic arbitrat animam conceptam in corpore prædisposito materia, ornamentum gratiæ recepisse à lumine solis justitiæ, & nunquam eorum fuisse, ita quod non fuerunt ulla tenebrae per aliquod instantans aut tempus imperceptibile originale indispolitioni. Omnes gratiæ cæteris Sanctis datæ, quæ dona gratis data dici possunt, sunt quasi quedam lumina censenda anime addita, quæ dum infunderentur, non expulerunt omnem malevolentiam tenebrosam, quam ex Adam natura habet humana. Ideo semper inclinationem & fomitem atque in concupiscentia & ira & motibus anime sensibilibus deordinationem, & impetum contra rationem experti sunt; quia animalitatis natura rationi in toto non cessit, in uno tamen plus, in alio minus: in Virgine autem gloriosa tota natura de servitate illa liberata est, omnibus istis motibus per lumen rationis extinctis & subactis, ita quod etiam fomines seu habitualis inclinatio & murmuratio & con-*

contradictio quæ mansit in membris Pauli, ibi non maneret. Talem enim naturam exigebat Filius hominis, qui & Filius Dei, qui venit tollere peccata mundi & in Adam mortuos regenerare in vitam. Ideo quia hæc erant futura Filio Dei ex *V. ab initio Conceptionis omnia præordinata sunt, sine quibus Mater Christi esse non debuit. Hæc tam sancta Conceptio, &c.* Item, in libro 8. ex sermone: Sicut lilium inter spinas, fol. 617. inquit: *Hoc cedit ad laudem Dei & V. MARIÆ Matris, quod ipsa sub principatu auctoris mortis nullo nunquam tempore fuit, in qua vita debuit incarnari. Non in dicitur Virgo liberatore qui ipsam absolueret à sententia in Adam & in posteros ex voluptate carnis lata, cui nunquam subiicitur, quia prævenit succurrere misericordia electæ Matri misericordis. Qui concipitur & nascitur liber, non indiget liberatore à servitute in qua nunquam fuit: præliberatore enim Virgo sancta habuit, ceteri liberatorem & postliberatore. Christus enim sic omnium liberator, quod & Virginis liberator & præliberator, cæterorum verò liberator, & postliberator. Ipsa sola post Adæ casum non indiget, sed plena originali iustitiâ ut Eva, & multo magis creata fuit, sicut Christus secundum humanitatis naturam in omni plenitudine iustitiæ multo magis quam Adam creatus. Sola ipsa electissima Dei Mater hoc habet, quod in initio essendi sub servitute maligni deficere nequivit, pota quod in creatione rationalis anime in corpore & in separatione à corpore in potestate maligni nunquam fuit. Sola igitur gloriosissima Virgo non reperitur tempore illo peccato originali subiacuisse, anima ejus creata non in umbrato ex Adam corpore indiget luce vitæ, quæ copiose creationi absq; mora ulla coassist. Non est MARIA delecta de libro principis mortis, quia nunquam in eo scripta fuit; sed inscriptio ejus ex æterna prædicatione, antequam concepta ad librum vitæ pervenit. Lib. impress. Basileæ 1565. in folio, & Parisijs anno 1514. in folio. Alia non pauca habet Auctor iste antiquus pro mysterio Immaculatae Conceptionis, quæ transcribere esset factis molestum. Hunc aliqui Scriptores Ordinis Prædicatorum voluerunt sine fundamento facere suum.*

**NICOLAUS** Dalmatius de Avigliana, Ordinis Sancti Augustini Italus, in lucem dedit Librum elaboratum à R. P. Ambrosio Landucio Senensi de Origine templi Virginis MARIÆ ad portam Flaminiam sive del Popolo, ubi quamplura extant pro Immaculata ac purissima Virginis Conceptione. Lib. impress. Romæ 1640. in 4.

**NICOLAUS** Diaz, Ordinis Prædicatorum, in libro de Rosario Domine nostræ, folio 159. de Indulgentiis concessis die 8. Decembris pro festivitatem Conceptionis Virginis MARIÆ. Lib. impress. Wylsponæ 1575. in 16.

**NICOLAUS** Dincelsbuel, sæcularis Doctor, scripsit Sermonem seu Concionem super illa verba: Cum esset desponsata, ubi Virginem Dei Mater MARIAM absq; originali macula commendat. Ita Daniel Agricola in Corona Conceptionis Virginis, folio 175.

**NICOLAUS** Duran, Societatis Jesu Hispanus, scripsit Sermonem de Immaculata Conceptione V. MARIÆ declamatum in Ecclesia Limensis S. Pauli, anno 1617. in festivitate Expectationis, de extat impress. in Relatione Antonii de Leon. Limæ 1618. in 4.

**NICOLAUS**, Episcopus Myræ sive de Bari, ac Sanctus, revelavit Helpino seu Helfino Abbati

quando & quomodo celebranda esset festivitas Immaculatae Conceptionis Virginis MARIÆ, &c. de quare Antonius Beattillus de Bari in ejus vita seu historia, libro 5. cap. 19. folio 237. & citat Jacobum de Voragine die 6. Decembris, Petrum de Natalibus libro 2. cap. 42. Petrum de Ribadeneira die 6. Decembris, Arnoldum Dubion lib. 5. cap. 103. Ferreolum-Locrium lib. 6. cap. 2. Jacobum Clithovæum libro 4. Hymnum festivitatis S. Nicolai in Breviario Ecclesiæ ipsius, Saavedra num. 348. Francisc. Bonæ-Spei, tom. 4. fol. 221. num. 99. Marrac. in Antist. Marianis. Vide quæ diximus in Antonio Beattillo.

**NICOLAUS** Erardus vel Heradus, Societatis Jesu Lotharingus, Patria Tullensis, scripsit de Conceptione Beatæ Virginis Conciones sacras, ut testatur Hippolytus Marraccius in Bibliotheca, folio 168. & in Catal. Marian. ad annum 1608. Pistoia fol. 157.

**NICOLAUS** l'Escalopier, Consiliarius Regius Gallus, in libro: La femme forte Judith, figure de l'ame genereuse, &c. die 10. 5. 13. à fol. 513. usque 547. latè tractat de Immaculata Virginis Conceptione & preservatione. Lib. impress. Parisijs, anno 1646. in 4.

**NICOLAUS** Fator, Ordinis Minorum Hispanus ac Beatus, sustinuit sententiam de Immaculata Virginis Conceptione, ut refert in ejus vita Joseph Eximin cap. 44. Daza libro de Concept. cap. 6. folio 44.

**NICOLAUS** le Fevre, Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula Gallus, in libro dicto: Le mystere de la pureté accomplie en la Mere de Dieu, agit de ejus perpetua puritate in anima & corpore, ac particulariter folio 42. dicit quod persona Beatæ Virginis in sua Conceptione & Nativitate non fuit inclusa in ordine nature, &c. vocatque passim ejus puritatem Immaculatam. Lib. impress. 1653. in 8.

**NICOLAUS** de Finali Mutinensis, Ordinis Prædicatorum, scripsit Poëtice Librum, ejus titulus est: Monile Christi & MARIÆ, in quo per quinquaginta metr. differentias probat immunitatem ac puritatem Virginis MARIÆ, ut refert Joannes Tamayus de Salazar ad annum 1525. fol. 286. ex Ant. Senen. folio 183. Sed nescio quo fundamento hunc citet pro nostra sententia, nam contrarium insinuat Antonius Senensis, cum dicit: Scripsit tam vulgari lingua, quam Latino sermone ligato Opus seu Tractatum, quod solus Christus fuerit sine peccato; & in eo tota materia de Conceptione Virginis elucidatur.

**NICOLAUS** Flores, Poëta Hispanus, scripsit Cationem regalem circa preservationem Virginis MARIÆ à peccato originali, & est apud Didacum Cano de Concept. folio 98.

**NICOLAUS** de Formanoir Presbyter, in lib. Sanctæ Fidei Catholicæ confessio, summa complectens dogmatum, quæ Catecheli ex præscripto sacri Concilii Tridentini traditur, Plam. 15. ad illud: Natus ex MARIA Virgine, fol. 21. inquit: Et nos in Adam primo parente mortui, in gratia & gloria secundi Adam reviviscimus. Maledictio Evæ in benedictionem mutata est MARIÆ, &c. Lib. impress. Antuerpiæ 1605. in 8.

**NICOLAUS** Galerius, Vicarius Generalis S. Caroli Borromæi & Canonicus Patavinus Italus, in libro: Evangeliorum per universum annum

explicandorum ratio, unâ cum usu Catechismi, folio 219. Decembris die octava Conceptionis Beatissime Virginis, sic inquit: *Virgo sanctissima concepta sine ulla labe editura erat statuto tempore maximo miraculo Dei Filium, &c.* Et post pauca: *Conceptionis Immaculatæ prerogativam fuisse maximum argumentum, quibusnam instrumentis, &c.* Et subiungit: *Possent multa dici de statu primi hominis, de peccato originali, utq; ab omnibus illis miseriam præservata fuerit Beatissima Virgo.* Impress. Coloniae 1588. & Ferrariae Italicè 1592. in 8. & Brixiae 1589.

NICOLAUS Gazer, Ordinis Minorum Gallicus, in lib. Historia sacra, &c. Gallicè, fol. 129. serm. 7. agit de præservatione Virginis *MARIÆ à peccato originali.* Lib. impress. Atrebatii 1616. in 8.

NICOLAUS Glasberg de Moravia, Ordinis Minorum, typis mandavit Trilogium animæ R. P. Ludovici de Prusia, in quo extat quæstio celebris de *Immaculata Conceptione Virginis MARIÆ*, ut videre est in lib. impress. Nuremberg. 1498. in 4. & alia, quæ videri possunt verb. Ludovicus de Prusia.

NICOLAUS Goleyri, Poëta Gallus, in Carmine ad Virginem *MARIAM*, sic inquit:

*O benedicta Dei Genitrix, te crimine solam  
Immunem Natus contulit esse tuus.  
Ipse tuam formans animam, sic Virgo redemit,  
Crimina quæ primi nulla parentis habes.  
Non fuit in toto conceptus sanctior orbe,  
Si non de Nato sint mea verba tuo.*

Extant hæc Carmina manusc. in Bibliot. Patrum Cœlestinorum Parisien. cum Operibus Dionysii Fabri in 8. antiquis characteribus.

NICOLAUS Gorran, Ordinis Prædicatorum Gallus, in Commentarijs in quatuor Evangelia in Evangelium Sancti Lucæ, cap. 1. fol. 494. ad illud: *Ave gratiâ plena Dominus tecum*, inquit: In hac Salutatione commendat Angelus quatuor in Beata Virgine. Primò *universalem culpæ carentiam*, cum dicit: *Ave*. Secundò *redundantis gratiæ abundantiam*, cum subdit: *Gratiâ plena*. Tertiò *specialem Dei præsentiam*, cum addit: *Dominus tecum*. Quarto *singularem super alias mulieres prærogativam*, cum addit: *Benedicta tu*. *O gloriosa Domina, quæ & culpâ caruit universaliter & gratiâ emicuit abundanter.* Deum præsentem habuit specialiter, & mulieres omnes præcellit singulariter. Dicit ergo *Ave*, quasi *sine vâ*; prima enim mulier genuit nos cum multiplici vâ: facta est enim nobis tantum mater malitiæ, mater discordiæ, mater ignorantiæ, mater miseræ; sed Beata Virgo facta est mater dilectionis contra vâ malitiæ, mater timoris contra vâ discordiæ, mater cognitionis contra vâ ignorantiam, mater spei sanctæ contra vâ miseriam, &c. Præinde: Dominus tecum. Dominus (inquit) qui te prælegit, Dominus Filius qui te desponsavit, Dominus Spiritus sanctus qui te consecravit. Dominus ergo tecum, quia tu totius Trinitatis nobile triclinium. Dominus quippe Pater tecum, quia se tibi associavit in unitate prolis. Dominus Filius tecum, quia te sibi sociavit in causâ nostræ salutis, ut sicut per hominem Adam & Evam mors intravit in mundum, sic per Christum hominem & *MARIAM* Virginem vita, &c. Lib. impress. Antuerpiæ 1617. in folio. Qui dicit Virginem habuisse

universalem culpæ carentiam, & quòd caruit culpâ universaliter, & quòd fuit absque omni vâ, clarè fatetur ipsam caruisse originali peccato: hæc enim est culpa universalis, in quam universi incidunt.

Item, in Fundamento aureo omnium anni Sermonum, in festo Annuntiationis serm. 11. folio 133. ad illud: *Ave gratiâ plena*, inquit: Ab his commendat Angelus specialiter Beata Virginem, scilicet à recta ordinatione; respectu sui, cum dicit: *Ave gratiâ plena*; respectu Dei, cum subdit: *Dominus tecum*; respectu proximi, cum addit: *Benedicta tu* in mulieribus. Ipsam verò respectu sui commendat tria, scilicet *omnis malæ carentia*, *ibi Ave*, *id est sine vâ*; *spiritualis boni præsentia*, *ibi gratiâ*; *præsentia abundantia*, *ibi plena*, &c. Qui omne malum excludit à Virgine, nullum admittit in ea: sed peccatum originale est malum & primum & maximum; igitur.

Item, Sermon 8. de Nativitate Virginis folio 170. ad illa verba: *Fons ascendeat de terra*, inquit: *Fons enim de terra nascitur, & tamen terræ conditiones non sequitur; quia cum terra vilitatem, opacitatem, ponderositatem habeat, fons è contra habet puritatem, claritatem & agilitatem. Sic Virgo nata de massa corruptionis non tenet conditionem corruptionis, sed habuit puritatem mentis, agilitatem boni operis, claritatem conversationis, &c.*

Item, Sermon 6. ad illud: *Egredietur virga de radice Jesse*, inquit: *Laudabilis generatio ex radice*, quia *radix regia*: fuit enim Jesse pater David Regis magis ex virga, quia Virgo intacta; maxime ex flore, quia præ alijs speciosus formâ; ergo secundum originem comparantur hæc tres personæ tribus; quia comparatur radici terræ inherenti propter culpam originis corruptionis; *Virgo virga de radice egrediens propter gratiam puritatis*; Christus *flori ascendenti propter prærogativam Conceptionis*, &c. Jesse habuit originalem culpam, quia terræ inhererat tantquam radix (inquit Gorran) *MARIA* non erat terræ conjuncta, sed separatata, ut virga jdeo pura & absque originali corruptione, id est peccato.

Item, infra: *Et sic commendatur duplex generatio Virginis, activa scilicet & passiva.* Circa Nativitatem Virginis notantur tria; *præter Nativitatis*, *ibi: Egredietur scilicet de radice*, *conditio radicis non habens utpote recta sine torquitate originalis sursum tendens sine pronitate ad descensum criminis; pulchra sine deformitate repugnantis sensualitati; sanctitas innocentia*, *ibi Virga nobilitas generis*, quia de radice Jesse, &c.

Item, Sermon 7. ad illa verba: *Sapientia ædificavit sibi domum*; tanquam venerabilis ex materia, quia ex columnis, id est Patribus sanctis, tanquam imitabilis ex forma, quod notatur in excisione: *excisa enim fuit ab omni deformitate, & polita omni virtute*, &c.

Item, Sermon 8. ad illa verba: *Et vestivit eam auro purissimo*, vel in vestitu aureo intus & foris, notatur copiositas gratiæ in corona aurea dignitas gloriæ, ut primò tangat festum *Nativitatis*, secundò *Annuntiationis*, tertio *gratiæ Conceptionis*, quarto *gloriam Assumptionis*, &c. Ibi *Conceptio potest respicere vel Conceptionem activam, vel passivam*: sed cum enumeraret Gorran festa Virginis, existimo quòd loqua-



tur de gratia collata Virgini in Conceptione passiva.

Item, Serm. 9. ad illud: Judæis nova lux ori-ri visa est, inquit: Ubi sub ortu novæ lucis significatur ortus Beatæ Virginis, & notantur tria: Expediens Virginis Nativitas, quia Judæis ori-ri visa, qui scilicet tunc liberati fuerunt ex magna miseria. Excellens nascentis sanctitas, quia lux nova, quia sine omni peccato & pronitate ad peccandum nata est, &c.

Item, Serm. 10. ad illa verba: O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! inquit: Exigen- te culpa primorum parentum, nativitas sive gene- ratio nostra triplex incommodum patitur; de- formitatem, quia culpæ obnoxia; fœditatem, quia concupiscentiâ fomicis inflammata; obscuri- tatem, quia lucem justitiæ & gratiæ inexperta. Sed contra Beata Virgo antequam nasceretur ex utero, fuit sanctificata, à concupiscentia refrigerata, luce gratiæ illustrata. Ideo hoc attendens fidelis quilibet exclamare debet: O quàm pulchra est, &c. Ex libro impress. Antuerpiæ 1620. in folio, & extat etiam manu- sc. in Bibliotheca S. Joannis Regum Toleti & alibi.

NICOLAUS Grandis, Ordinis Minorum, in Epistol. ad Romanos, cap. 3. fol. 66. à tergo, in- quit: Eramus naturâ filij iræ, cui statuto sacrificio Virgo ob id quod Dei Filium concepit & genuit, ob- noxia haudquaquam extitit. Illi quippe dictum est: Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ su- stulisti, Lucæ 2. Si Beatus venter, quomodo sorde aliqua pollutus? Hinc Cyprianus Serm. de Na- tivit. Christi sanctè & religiosè dixit: Nec sustinebat iustitia, ut illud vas electionis com- munionibus lassaretur injuriis, quoniam à cæteris plurimum differens, naturâ communicabat, non culpa. Huc pertinet Orig. tract. diversarum Ho- milliarum, Homil. 1. Audite (inquit) quod Vir- go in utero accipit, non ex desiderio partum con- ciens, quæ neque persuasione serpentis decep- ta est, nec ejus affatibus venenosis infecta. His consentit Hier. in cap. 10. Ecclesiast. Liberior fuit (inquit) cunctis hominibus à peccato San- cta MARIA nullum habens fructum peccati, nul- lum germen ex latere. Quibus subscribens Au- gust. lib. unico de Natura & Gratia, cap. 26. di- cit: Cum de peccato agitur, nullam ob Salvatoris nostri honorem de MARIA Virgine volo habere mentionem. Ad hæc etiam Concilij Basileensis definitio, sessione 36. &c. Lib. impress. Parisiis 1546. in 8.

Item, in Epistol. ad Hebræos, cap. 9. ad illa verba: Christus existens Pontifex, fol. 148. ex- citans illam quæstionem; quod Deiparæ Virginis immaculata anima profectura erat, si prior Chri- sto diem clausisset extremum? inquit: His tamen nihil officit Angelos à mundo condito beatitu- dine donatos, qui Christi merito victoriâ po- tuit, nullius sceleris unquam conscij. Siquidem Adæ lapsus, quo cæli aditus nobis præclu- sus est, nihil illi obesse potuit, qui intemerata V. ni- si die peculiarari dono præpediente, obstitisset: non tamen eo inficias divinæ virtuti quidquam fore ar- dum aut difficile. Non enim impossibile erit a- pud Deum omne verbum. Lucæ 1. Deum deni- que suis legibus minimè irretitū esse, & idcirco ad beneficij singulari quodam munere illi con- ferre potuit, &c. Lib. impress. Parisiis 1552. in 8.

NICOLAUS Grenerus, Cœnobita Religio- sæ Domûs S. Victoris extra muros Parisien. edi- dit inter alia pulcherrimum Tractatum pro Imma- culata Virginis Conceptione lingua Gallicâ impressum Parisiis in 16. quem Latine reddunt aliqui Fra- tres Minores, ut exeat in lucem unâ cum alijs mo- numentis antiquis de Conceptione.

NICOLAUS de la Iglesia, ex sacro Ordine Carthusianorum Hispanus, edidit Librum sub hoc titulo: Flores de Miraflores Hieroglyphicos Sagrados verdades figuradas, sombras verdade- ras del mysterio de la Immaculada Concepcion de la Vir- gen y Madre de Dios MARIA Señora nuestra, &c.

Item, ibidem fol. 131. adducit Appendicem sub hoc titulo: Indice alphabetico Historico y Chronologico de los Autores que califican auctorizan y adornan las flores deste libro: dondes se vera junctamente el sentimiento que tubieron acerca del mysterio de la Immaculada Con- cepcion de MARIA Señora nuestra, &c.

Item, in Sermone seu vespertina Oratione super illud Esther 10. Recordatus sum somni quod vi- deram: Parvus fons crevit in fluvium, &c. §. 2. in applicatione ad Virginem, inquit: Parvulum il- lum fontem, MARIAM inquam, in amnem crevisse cernimus in primo suæ Conceptionis instanti, &c. Vi- de ibi. Serm. impress. Burgis 1659. in 4.

NICOLAUS Janfenius, Ordinis Prædicato- rum, licet non ex se, tamen in suo libello dicto: Animadversiones contra Doctorem Subtilem Jo- annem Duns Scotum & Interpretem seu defen- sorem illius, refert illa verba dicta contra Bzo- vium, fol. 54. scilicet: Oculus tuus Bzovi alia non reperiet crimina quàm duo, quæ tibi sunt maxima, scilicet impugnasse doctrinam D. Tho- mæ, & propugnasse Sanctissimæ MARIÆ Immacu- latam Conceptionem, &c. Lib. impress. Coloniae 1622. in 12.

NICOLAUS Kessler, in libro dicto: Opus præ- clarum omnium Homiliarum & Postillarum me- morabilem & egregiorum Doctorum Hierony- mi, Ambrosij, Augustini, &c. in Serm. de Nativitate Virginis qui incipit: Creatoris Matrem, fol. 40. inquit: Etenim inestimabilis benignitatis femi- nam & revera Matrem misericordiæ esse agnos- cimus ex eo, quod tu quæ mundam hunc immundum & lubricum impolluto calle transisti, &c. Item, infra: Sicut Aurora valde rutilans in mundum progressa es, ô MARIA! tu ergo pulchra es ut Luna, imo & pulchrior Lunâ; quia tota pulchra es & macula non est in te, neque vicissitudinis obumbratio, &c. Lib. impress. Basileæ 1493. in folio.

NICOLAUS Lancitius, Societatis Jesu Ru- thenus, in libro de Praxi divinæ præscientiæ, hæc habet pro Virginis Conceptione: Legi & def- eripi anno 1599. ex Actis originalibus Concilij Tridentini (quæ asservantur in castro S. Angeli Romano, & cum expressa licentia Clementis VIII. Summi Pontificis fuerunt R. P. Petro de Arrubal Professore Theologiæ in Collegio Romano, & mihi ejus socio ad aliquas horas exhibitâ à Car- dinali Lessio) ex aliquot Decadibus Episcopo- rum deputatorum ad tractandum de hoc puncto Conceptionis Beatæ Virginis MARIÆ, omnes asservisse il- lam esse conceptam sine peccato originali, sed ob instan- tissimas preces aliquorum Episcoporum & Theo- logorum Sancti Dominici, qui illi Concilio ade- rant, rogantium, ne hac vice propter notam quæ inureretur

inureretur Ordini Sancti Dominici, hoc decreto illud ederent, sed superfederent & ad aliud tempus illud reicerent. Concilium superfedid & decretum illud non vulgavit hanc solam ob causam. Ita habetur in illis Actis Concilii, quæ diligentissimè legi, & hæc tunc excepi. Ita tom. 2. opusc. 11. prædicti libri de Praxi divinæ præscientiæ, cap. 13. pag. 49. Vide Joannem Antonium Velazquez lib. 4. de MARIA Immaculatè concepta, dissert. 3. adnot. 4. folio 41.

Item, loquens de Revelationibus Sanctæ Catharinæ Senensis, affirmat se bis legisse prædictas revelationes cum accurata attentione, nullam tamen prorsus invenisse revelationem, quæ in specie vel indirectè indicet *Sanctissimam Dei Matrem esse in originali peccato conceptam, aut ullâ maculâ in sua Conceptione coinquinatam*. Verbaque illa in oratione decima sexta, esse additamentum aliquorum Fratrum, &c. Vide tom. 2. opusc. 11. de Praxi divinæ præscientiæ, cap. 13. lib. impress. anno 1645. & Velazquez lib. 4. de MARIA Immaculatè concept. dissert. 7. adnot. 2. fol. 355.

NICOLAUS de Lira, Ordinis Minorum Galus, in Postilla sua super Caput 1. Lucæ ad illa verba: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, inquit: Et benedixit: Superveniet in te, quia prius venerat Spiritus sanctus super Virginem adhuc in utero matris existentem, eam ab originali purgando, ut communiter dicitur: vel secundum alios, ut communiter etiam dicitur, à peccato originali præservando. Sed in Conceptione Filii Dei superveniet Spiritus sanctus, id est, iterum veniet ad conferendam majorem gratiæ plenitudinem, quæ non solum sanctificabit mentem, sed etiam ventrem. Ita tom. 5. Gloss. Impress. Venetijs 1603. col. 686. & Duaci. Venetijs 1488. per Octavianum Scorum. Et ita extat in manu. quod extat in Biblioth. Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ: at in alia impressione facta Venetijs anno 1482, inquit: Et benedixit: Superveniet in te, quia prius venerat Spiritus sanctus super Virginem adhuc in utero matris existentem, eam ab originali purgando, ut communiter dicitur, vel secundum alios à peccato originali præservando, &c. Sed de hac auctoritate vide Radios Solis Veritatis.

Item, in lib. 3. Esdræ, cap. 3. ad illa verba: Vinum iniquum, iniquus Rex, iniquæ mulieres, iniqui omnes filij hominum & iniqua illorum omnium opera, & non est in ipsis veritas, sic ait Liranus: Multi enim Reges, mulieres & homines fecerunt iniquitates accipiendo iniquitatem pro crimine enormi, & sic est hic hyperbole, sicut cum dicitur: Omnes de civitate vadunt ad tale spectaculum, id est multi: si autem accipiatur iniquitas pro peccato quocumque, sic generaliter omnes dicuntur iniqui, excepto homine Christo & Beata Virgine, de quibus non loquebatur Zorobabel, &c. Extat tom. 2. col. 1430.

Item, in Epistol. ad Thessalonicenses, cap. 4. ad illa verba: Quia nos qui vivimus, qui residui sumus, &c. inquit: Quod hæc dicitur: Deinde nos qui vivimus, qui relinquitur scilicet vivi usque ad adventum Christi, simul rapiemur cum illis, id est, cum mortuis resuscitatis obviam Christo descendenti ad iudicium; & dicunt quod Apostolus se connumerat eis, eò quod pertinet ad idem corpus Ecclesiæ; sed hæc expositio primò deficit

in hoc, quod dicit aliquos sine morte ad immortalitatem transire, quia descendentes ab Adam præter Christum & Matrem ejus intulerunt originale peccatum, cuius pena est mors, & ideo omnes solvere debuit mortis, &c. Et ad marginem extat hæc verba: *Eccc Beata Virginitas ab originali peccato, &c. quæ nota marginalis est Francisci Fenwardenti*. Vide Glossam ordin. tom. 6. col. 694.

Item, in Postilla super Magnificat ad illa verba: Quia fecit mihi magna: Fecit magna (inquit) quia fecit mihi magna in sanctificatione; sed maxima in Filij Dei Conceptione, qui potens est virtute enim potentia Dei infinita facta sunt hæc, &c.

Item, in Expositione Hymni: Ave maris stella, ad illa verba: Sumens illud Ave, inquit: Et quia tu es fumus illud Ave, id est, salutationem quæ fertur ab ore Gabriëlis, funda nos in pacem, id est, in æterna beatitudine. Tu (dico) mutas nomen Eve in Ave, maledictionem Eve in vitam æternam, id est, in tuâ benedictionem, &c. Lib. impress. Lugduni 1500. in 4. Et nota, quod hic liber est singulari & rarissimè inventur.

NICOLAUS Lombardus Macerensis, Societatis Jesu Gallus, in libro Expositionis Esdræ & Nehemiæ, seu Commentario litterali, allegorico & morali, ad cap. 2. vers. 1. fol. 348. agens de domo in quam ingressus est Nehemias, inquit: Per eam domum intelligitur Virgo Beata, quæ spiritus sancti charismatibus præ cæteris fuit tecta, &c. arde ordinata ab æterno, & verius quàm templi Salomonis habitatio præparata non homini, sed Deo: Verbi- que incarnati in plenitudine temporis domicilium facta, &c. Lib. impress. Parisijs 1642. in fol. Si ordinata ab æterno, tecta & præparata: quæ & a primò Conceptionis instanti tecta & præparata: ab illo enim cepit fieri templum Dei.

NICOLAUS Lorinus, Ordinis Prædicatorum Italus, habet de Conceptione Beate Virginis MARIE Concionem unam. Florentiæ 1615.

NICOLAUS Manerbis seu Maleribus, Ordinis Camaldulensis Italus, de Conceptione MARIE Virginis Historiam. Venetijs 1525.

Item, Italicè reddidit Legendam Conceptionis Virginis MARIE à Jacobo de Voragine Ordinis Prædicatorum scriptam. Lib. impress. Venetijs 1600. in 4.

Item, posuit Tractatum de miraculis Conceptionis gloriosissime Virginis MARIE in Legendario Italico. Impress. Venetijs 1475. in folio magno, ubi late agit de mysterio, & miraculis antiquis circa idem.

NICOLAUS Massiliensis Episcopus, natione Gallus, subscripsit Decreto edito à Concilio Provinciali Avinionensi, ad annum 1457. de observanda festivitate Conceptionis Beatissime Virginis MARIE, juxta statutum Concilij Basiliensis. Vide Purpuram Marian. folio 369.

NICOLAUS Monachus Sancti Albani, Ordinis S. Benedicti Cluniacensis seu Cisterciensis, Secretarius ac Discipulus Sancti Bernardi, pro descriptione Immaculatae Conceptionis Virginis MARIE ad Petrum Abbatem Sancti Remigij Epistolam unam, quæ inter Epistolas Petri Celsensis est num. 166. folio 368. Lib. impress. Lutetiæ 1613. in 8.

NICOLAUS Monachus (absque alio nomine) in Expositione Cantici Magnificat ad illa verba: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, inquit: Beata fuit habens effectum purissimum, sine contagione ut esset candor lucis æternæ quod

animam, & speculum sine macula quoad corpus. Ita Cardinalis Joannes Vitalis in suo Tractatu de Conceptione libro 4. conclu. 7. An verò iste fuerit distinctus à Nicolao Monacho S. Albani, ignoro. Hoc unum certè scio, quòd Albanus non scripsit super Magnificat: unde videtur, quòd fuerit distinctus.

NICOLAUS à Montmorency, Comes de E'terra, Habeskerke & Vendogii, in libro: Solemne convivium bipartitum de præcipuis solemnitatibus Domini nostri JESU CHRISTI, Beatæ MARIE & Sanctorum, part. 2. fol. 524. in Exercitio pro solemnitate Conceptionis Virginis MARIE advertit sequentia: Officium Conceptionis Beatæ MARIE usque ad folium 530. Item, Meditationem de Conceptione Immaculata Beatissimæ Virginis MARIE ex Christophoro Barrachino. Item, Meditationem gaudiosam Conceptionis Immaculatae Genitricis Dei MARIE ex Platerio tripartito Virginis. Item, aliam Commemorationem de aeternali Conceptione sive electione Sanctissimæ Virginis MARIE cum Oratione. Item, aliam Orationem de Conceptione Virginis ex Justo Lanspergio. Item, alias tres Orationes ejusdem de Conceptione Virginis. Item, Congratulationem & Orationem de Virginis Deipara Conceptione ex Vincentio Bruno.

Item, in libro: Exercices devotes à l'honneur de Madame S. Anne mere de la glorieuse Vierge MARIE, consideratione 2. de Circumstantiis Conceptionis & Nativitatis Virginis, & de Consolatione quam S. Anna recepit, folio 8. Quomodo Virgo MARIA sui concepta & preservata ab omni macula originali, repletaque à ventre matris suæ omni gratia, perfectione & virtute. Impress. Bruxellis 1610. in 8. Item, de Gaudiis Beatæ matris Annæ in Conceptione suæ MARIE, cum salutatione & precatione ad Sanctam Annam ex Joanne Trithemio. Quæ omnia reperies in prædicto libro à folio 534. usque 553. Impress. Antuerpiæ 1617. in 8.

Item, in libro dicto: Manna absconditum, seu Spirituales dulcedinis, part. 1. cap. 10. in Exercitio ad Virginem MARIAM in septem Hebdomadæ dies partito, de immunitate, puritate, pulchritudine, incomparabili gratia, &c. Vide à folio 400. usque 600. Lib. impress. Coloniae 1616. in 8.

Item, in libro dicto: Diurnale pietatis in quatuor partes partitum, art. 3. folio 49. in Exercitatione pro Dominica die: Quòd Virgo MARIA fuerit immunis ab omni culpa, &c. Impress. Antuerpiæ 1616.

Item, in parte posteriori Manna absconditi, fol. 590. inquit: Gloria sit tibi, Domina mea MARIA Virgo Mater Dei, quæ ab eodem Angelo, quo Christus tibi nuntiatus fuit, Patri ac Matri tuæ nuntiata es: eorum conjugio honestissimo concepta & genita fuisti. Impress. Lovanii 1602. in 8.

NICOLAUS Natus Nucernus, ex Seminario Romano Clericorum, recitavit cum alijs Speculû Socraticum pro Immaculata Virginis Conceptione. Romæ 1632. in 4.

NICOLAUS Nigidus, Siculus Messanenensis, Doctor Theologus Italus, in Summa sacra Mariologiae, id est, Theologia de MARIA part. 1. quæst. 4. de Parentibus sanctissimæ Virginis, art. 6. Utrum Beata Virgo fuerit Annæ & Joachim filia? quaerens quare Joachim & Anna non nominentur in Scriptura Parentes Virginis MARIE, inquit: In Christi Domini genealogia nominati non sunt, cum tamè fiat Josephi mentio; nimirum, ut alta & præclara

de Virgine cogitemus, ne peccato Adæ maculatam putemus, nominatis ejus Parentibus tanquam ab Adam descendentibus, fol. 80. Item, in eadem quæst. art. 7. fol. 81. Quòd Virgo fuit ex vi Conceptionis obnoxia peccato originali, ac consequenter indiguit redemptione. Item, quæst. 6. de Nobilitate Beatæ Virginis, art. 3. Utrum Beata Virgo fuerit opus operum Dei, & opus per excellentiam? respondens ad argumentum 4. scilicet, quòd Virgo MARIA nunquam fuit justificata, quia nunquam fuit impia, inquit: Ceterum quòd ad justificationem atinet; sanctificatio, quæ prævenit Deus ne egeat quis justificatione, summa justificatio est, & summa sanctificatio: summa medicina est, quæ præservat à morbo, folio 125. Item, eadem quæst. art. 7. Utrum Beata Virgo rectè dicatur thronus Salomonis? inquit: Fuit Beata Virgo de ebore, fuit enim de Immaculata & impubili carne: propter quod meritò caro ejus sanctissima & purissima passim, ipsa verò immortalis Virgo de immortalitate plena à Patribus appellatur. Rursum fuit & gratia plena, &c. ut nullam in pectore Virginali particulam vacuum relinqueret; sed tota virtute, toto corde tota anima diligeret, & esset gratia plena, folio 138. Item, quæst. 7. de Nobilitate Beatæ Virginis art. 1. Utrum Beata Virgo sit filia Dei? ait: Et ideo etsi Beata Virgo vel nunquam, vel serò baptizata est, non propterea non ab initio fuit filia Dei, folio 144. Item, quæst. 13. de Effectu intrinseco maternitatis Dei, quæ est gratia, art. 2. Utrum Matri Dei uberior quàm cæteris gratia debita sit? inquit: Ad primum ergo dicendum: Quòd etsi in Matre Dei non fuit delictum, tamen propter naturam, quia fuit ex viro, esse debuit causa omnium delictorum, & ideo superabundaret & in ipsa debuit gratia, immo tanto magis quanto in ipsa non jam delendum fuit peccatum, sed ne influeret unquam, per gratiam avertendum, quòd summa de peccato victoria est. Atque id esse videtur, quòd Augustinus dixit lib. de Natura & Gratiæ Scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum. Plus autem dicit, quia ante pugnam vicit, quòd est ex omni parte. Itaque ubi superabundare debuit delicto, victoria debuit gratia superabundare folio 195.

Item, quæst. 17. de Prædestinatione Matris Dei, art. 5. Utrum B. Virgo prædestinata sit in Matrem Dei ante prævisum peccatum originale? ad quam respondet: Quòd etiam si Adam non peccasset, Deus incarnatus fuisset, seu carnem in Virginis utero sumpisset, ac per consequens prædestinata ante prævisionem peccati originalis. Alia adducit prædictus Doctor in libro dicto; verbi gratia, quòd in Beata Virgine MARIA nihil injustum fuit, nihil defectuosum, & his similia quæ ejus immunitatem indicant. Lib. impress. Panormi 1602. in 4.

NICOLAUS Nigri Italus, in Vita S. Nicolai stella 10. de Sanctitate Virginis MARIE, ed quòd absque macula peccati originalis fuerit concepta, fol. 54. Romæ 1606. in 12.

NICOLAUS de Nisè seu Dionysius, Ordinis Minorum Gallus, in quatuor libros Sententiarum, Resolution. Theologor. tract. 4. parte 1. propos. 5. quæst. 1. Utrum Virgo MARIA fuerit exempta à peccato originali? &c. sic dicit: Virgo MARIA fuit totaliter immunis ab originali peccato. Venetijs 1574. in 8. Parisiis 1574. in 8. à folio 333. usque 335.

A a a a

Item,

Item, de Conceptione purissima sacratissime Virginis Matris Dei. Sermonem pulcherrimum. Item, pro Nativitate seu Conceptione Beate MARIE Sermonem alterum. Argentinae 1510. in folio.

Item, in libro dicto: Gemma prædicantium; tract. 3. de Peccati annihilativa offensione, puncto. 1. de Peccato originali, folio 120. se remittit ad Sermonem de Conceptione Beate Virginis MARIE. Lib. impress. Parisiis per Franciscum Regnault sub signo S. Jacobi in 8.

Item, in libro dicto: Sermones impretriabiles, folio 9. pro festo purissime Conceptionis MARIE Sermones duos, super illud: Nondum erant abyssi; utque ad fol. 13. Item, ibidem fol. 143. in Sermone 1. super Ave MARIA, sic inquit: Secundus ternarius, sive secunda trinitas. *Primò fuit sine vae originalis injustitia.* Cant. 4. Tota pulchra es amica mea & macula non est in te. Secundò sine vae actualis malitia. Augustinus: Cum de peccato agitur, nullam prorsus de MARIA volumus habere questionem. Tertiò sine vae, &c. Lib. impress. Parisiis 1510. in 8. regali.

NICOLAUS Oranus, Leodiens. Ordinis Fratrum Minorum, in libro dicto: Exilium generis humani felicissimum Concionibus explicatum, quibus misericordia & veritas Dei erga primos parentes & eorum posteros elucescit; Cantic. 14. applicando ad festum Conceptionis vel Nativitatis Virginis super illa verba: Maledicta terra in opere tuo, cujus argumentum est: Quomodo in terra per opus Adæ maledicta terreni omnes filii ab eo propagati comprehenduntur? Quod omnes quando nascuntur, sunt opus Adami fructusque istius terræ. *Quomodo successu temporis in benedictionem maledictio mutata sit per terræ, scilicet B. Virginis, & fructus terræ, scilicet ipsius Christi benedictionem, &c.* Vide ibi à folio 291. usque 310. Lib. impress. Montibus 1615. in 8.

NICOLAUS de Orbellis, Ordinis Minorum Gallus, in Compendio singulari super Sententias in 3. dist. 3. querens: Utrum Beata MARIA Virgo fuerit concepta in peccato originali? Respondet: *Fuit itaque Virgo purissima & immunis à macula peccati originalis, &c.* Quod probat per totam questionem, &c. Lib. impress. Parisiis 1511. in 8. & 1517.

NICOLAUS Oresmus sive Oresmius, natione Gallus, Caroli V. Franciæ Regis Præceptor & Episcopus Lexovensis, edidit pro defensione Conceptionis Beatissime Virginis MARIE Librum unum. Ita Hippolytus Marrac. in Biblioth. & in Catal. ad ann. 1377. & Franc. Maria Pistoia, corona 2. folio 153.

NICOLAUS Oudaet, Jurisconsultus Bruxellensis, in libro: Ephemerides Ecclesiasticæ, seu Factorum sacror. compendium, ad diem 8. Decembris folio 129. de Conceptione Virginis MARIE, canit sequentia:

*Seu concepta expers macula est, seu postea lota,  
(Quod quidem ego arcanum non temere excutiam)  
Edere nos adigit MARIE Conceptio plausus,  
Prædicta Angelico quæ prius ore fuit.  
Quamquam Helmsium Abbatem merisum æquore pene Britanò  
Dudum aliquis docuit quòd celebranda foret.  
Lib. impress. Antuerpiæ 1601. in 12. magno.*

NICOLAUS de Padua, Ordinis Minorum, scripsit de Immaculata Virginis Conceptione, ut refert Ant. Daza c. 6. fol. 53. ex Buft. serm. 7. de Concep.

NICOLAUS Polonus, Decretorum Doctor, in Sermonibus de Sanctis Viridar. dict. fol. 20. in ferm. de Conceptione sic inquit: Nam sicut Luna est inferior loco & dignitate, ita Virgo Beata inferior est in sua Conceptione Filii Dei Conceptione, Nativitate & omnibus aliis: & ideo *supposito isto, quòd non sit concepta in originali peccato, ut quidam piè credunt, tamen adhuc non æquiparatur, nec assimilatur Christo in omnibus.* Dicit enim Ptolomæus in Almagesto, propol. 18. quòd Sol excedit Lunam quadragies octies; sic Christus excedit Virginem Matrem suam in sua Conceptione & Nativitate: ille enim de Virgine conceptus est, ista de conjugate. Secundo, ille de Spiritu sancto, hæc de viro. Tertiò, quia sanctificatio Christi in Conceptione fuit plenior quam MARIE, quòd quòd ab instanti Conceptionis fuit ànima Christi beata, non tamen sic MARIE. Et idèd patet illorum protervia & durities, qui nolunt concedere illam conceptam sine originali peccato, timentes eam per omnia assimilari Christo, ac per hoc metuentes offendere majestatem singularitatem Christi; si eam illi in Conceptione assimilent: quia etiam dato quòd sic esset concepta, non tamen per omnia similis esset Christo, sicut supra dictum est, quòd Christus respectu ipsius se habet ut Sol ad Lunam, qui maximè distant à se invicem magnitudine, loco & dignitate, &c. Lib. impress. Coloniae 1613. in 4.

NICOLAUS Pratenfis, Ordinis Coelestium, enixè procuravit, ut in sua Religione recitaretur officium Immaculatae Conceptionis cum octava, cujus intercessione factum est miraculum de rosa virente per integrum annum coram imagine Virginis MARIE. Vide Antonium Balinghen in Kalend. ad diem 15. Decembris folio 683. Joann. Halloza in Cælo stellato, libro 1. cap. 1 folio 4. Euseb. cap. 33. folio 298. Joann. Bonif. lib. 4. cap. 17.

Item, scripsit pro immunitate Virginis MARIE, rebus Franc. Maria Pistoia, coron. 2. cap. 5. fol. 154. num. 64.

NICOLAUS Querculus, Poëta Latinus, in Certamine Gratiæ & Naturæ, sic inquit:

*Concurrere simul totis conatibus olim,  
Cum Christi Genitrix concipienda foret.  
Horrida pugnabat natura nigrantibus armis,  
Quam sequitur serpens cui male creditur;  
Augebatque animos nulli sua sancta fuisse  
Ipso conceptus tempore principia.  
Illa Dei contra properat confissa favore  
..... levem lumine plena gerit.  
Et ne festinans sædet natura, quod esse,  
Primo volens vulnere se va cupitis  
Diva propinquanti longè stridente sagitta  
Arcet, & illasum sedula servat opus.  
Gratia naturam cum qua est congressa subegit,  
Et forti posuit clara trophæa manu;  
Puncto conceptus se prævenisse sub ipso  
Æthereos prolem qua fuit ante polo,  
Virginis esse satum, pareret quem Virgo, Democritus  
Conciperet Virgo candida Virgineus  
Hic neque natura solitas neque demum artes  
Posse, nisi salsa prævaluisse . . . . .  
Sic fuit, o Muse, naturæ gratia victrix,  
Sic Sacrosanctæ Virginis ortus habet.  
Dicite Callicole certamen, dicite Musæ:  
Ter ter, o Musæ, dicite Callicole, &c.*

Vide

Vide Gregorium Gallicanum in Mariali pag. 16. Euleb. Nieremb. libro Excep. cap. 29. folio 543. Leon classe 9. verb. Vincent. Bandel.

Item, scripsit contra Vincentium de Bandellis Tractatum pro Immaculata Virginis MARIÆ Conceptione. Ita prædictus Leon in Biblioth.

NICOLAUS Quintus Summus Ecclesiæ Pontifex (Thomas antea vocatus) natione Tuscus, de Conceptione Beatæ Virginis MARIÆ Bullam unam quam adducit Marraccius in Biblioth. & in Catal. ad annum 1455. & in Pontif. Marian. folio 145. ex Oxeda Joann. Tamayus folio 269.

NICOLAUS de Rebbe, Athenis Flander, edidit panegyricam Orationem Theologicam de Immaculata Conceptione Virginis MARIÆ habitam Infulis anno 1553. in solemnibus festo Conceptionis Beatæ Virginis, & incipit: Plurima sunt, Optimates, Viri amplissimi, cæteri que Auditores. Item, ibidem in indice sententiarum Theologicarum que in prædictis Orationibus continentur, prima est hæc: Beatam Virginem MARIAM in primo instanti suæ Conceptionis præservatam fuisse à peccato originali, p̄p̄e & probabiliter creditur. Est Scori in 3. dist. 3. Bonaventuræ, Marfilij, Gabrielis, Abulensis, Lipomani, Driedonis, Tiletani, Covarruviz, Canisij, Granatenis, Sorbonæ Parisien. anno 1549 Bellarmini, & plurimorum. Hæc ille fol. 32. Item, in quæstionibus Theologicis in prædictis Orationibus expressis, prima quæstio est: An Beata Virgo fuerit, & quando in utero sanctificata, & confirmata in gratia? Secunda verò: An Beata Virgo fuerit omnino præservata à peccato originali? Quibus satis facit assertivè. Impress. Bruxellis anno 1597. in 4. cum alijs duabus Orationibus prædicti Auctoris, una de Annuntiatione Virginis MARIÆ habita etiam Infulis, anno 1593. à folio 16. & altera de Institutione Juventutis à folio 44.

NICOLAUS Rodolphus, Ordinis Prædicatorum Italus & Generalis Magister, edi curavit Martyrologium Ordinis Prædicatorum, in quo ad diem 8. Decembris habetur: *Conceptio gloriose semper Virginis MARIÆ, festum totum duplex.* Impress. Romæ 1637. in 4. reg.

NICOLAUS de Roma, Ordinis Minorum Italus, Stellarium Immacul. Conceptionis Deiparæ MARIÆ super illa verba: *Tota pulchra es MARIA, & macula originalis non est in te.* Impress. Neapoli 1626. in charta expansa. Vide verb. Cæsarius de Roma.

NICOLAUS Romæus, Brugensis Societatis Jesu, in libro cuius titulus est: Joannis Calvinij Noviodunensis nova effigies centum coloribus ad vivum expressa, &c. de infectione personali sive originali peccati traductione in particulares personas, folio 494. de rationibus quare Virgo MARIÆ à peccato originali potuerit præservari, &c. late. Vide ibi.

Item, in Notis numero 4. de Extravagant. Sixti IV. & Pauli V. circa Immaculatam Conceptionem Virginis MARIÆ, &c. late. Lib. impress. Antwerpiz 1622. in folio.

NICOLAUS Rotius de Saio, Ordinis Carmelitarum Italus, de Societate Beatæ MARIÆ sita in Ecclesia S. Joannis Conchæ Mediolan. fol. 27. de Indulgentijs pro die Conceptionis Virginis MARIÆ, &c. Lib. impress. Mediolani 1591. in 8.

NICOLAUS Sævola Spoletanus, Doctor Italus, edi curavit librum Parthenicum Martij Pro-

bi Mariani Sulmonensis, ubi lib. 1. *Virginem MARIAM liberam à peccato originali* profitetur. Impress. Neapoli 1624. in 4.

NICOLAUS Salycetus, Artium & Medicinæ Doctor, Abbas Monasterij B. MARIÆ de Pomerio aliàs Bogart Ordinis Cisterciensis, in libro dicto: *Antidotarius animæ meditationum, confessionum ac devotarum orationum, &c.* fol. 53. in aurea oratione ad B. Virginem, inquit: *Ave rosa sine spinis* tu, quam Pater in divinis majestate sublimavit, & ab omni vā purgavit, &c. Et in eodem fol. col. 4. affirmat, quod contrivit antiqui serpentis caput, & passim vocat eam puram & Immaculatam, ut fol. 64. & 69. & fol. 118. Et in Rosario, inquit: *Qua labe carens vivo de Flamine concepti*, &c. Item, in Oratione ad Virginem gloriosam, fol. 122. col. 3. inquit: *Eia rosa sine spina, &c.* Pro omnimoda puritate Virginis vide alia ibi. Lib. impress. Lugduni 1542. in 8. parvo.

NICOLAUS Sartorius Illyricus, Societatis Jesu, edidit Manuale Sodalitatis Beatæ Virginis MARIÆ, in quo agit de Immaculata Deiparæ Conceptione. Impress. Pofonis 1639. Hippolytus Marraccius in Catalogo Marian. Alegambe fol. 355.

NICOLAUS Strata de Turino, Ordinis Prædicatorum, in libro: *Compendio dell' Ordine, & Regola del sanctissimo Rosario della Gloriosa Vergine, &c.* folio 144. ad diem octavam Decembris sic inquit: *La festa de la sanctification, seu Conception* di nostra dona si concedeno per Gregorium IX. 100. anni è quarentene, è per Innocentio IV. Gregorio X. Nicolao III. & IV. Urbano VI. 40. anni per uno, & per Clementi IV. 40. anni, è 100. giorni, è per Sixto IV. 30. anni è trenta quarentene de Indulgence. Item, Sixto concede per ogni hora canonica dell' officio de la Conceptione che incomincia: *Sicut lilium inter spinas, &c.* Che sel ascolta 16. giorni de Indulgence. Item, in Litanijs folio 175. inquit: *Per sanctū diem tue sanctificationis* succurre nobis Domina. Lib. impress. Taurini 1588. in 4. De verbis istius Auctoris multa possent dici, sed pro nunc breviter nota tantummodo hoc, quod nullus Ecclesiæ summus Pontifex concessit ullam Indulgentiam sub titulo vel nomine Sanctificationis. Veritatem dicimus: nam cum summa adverentia vidi & legi Romæ ferè omnia Regesta Bullarum Vaticanæ. Tum sic: in verbo illo Sanctificatio, vel Auctor iste intelligit Sanctificationem Virginis in primo instanti suæ animationis: & si hoc, est pro nobis, & nobiscum sentit; vel intelligit Sanctificationem protestativam opinionis contrariæ, id est, quod fuerit sanctificata post contractionem peccati originalis, & hoc modo falsum dicit, quia nulla est Indulgentia concessa sub titulo, non dico Sanctificationis protestativæ, imo neque Sanctificationis absolutæ. Quare judico, quod Auctor iste loquatur de Sanctificatione in primo instanti.

NICOLAUS Sufcius, Societatis Jesu Orator atque Poëta, in Opusculis litterarijs disceptatione quodlibetica de Pulchritudine Beatæ Virginis MARIÆ, fol. 150. vocat Deiparam *lilium inter spinas, sine vulnere, sine plaga, sine ulla cicatrice*, nullumque fuisse corporis animique decus, nullum ornamentum, quo non ipsam suam Deus optimus maximus decoravit: ac tandem quod nullus sermo est tolerandus, non di-

co qui MARIÆ deroget, sed qui vel minimum derogare videatur. Lege fol. 151. & fol. 161. & 169. & 179.

Item, Elegia 3. depingens MARIÆ formam, inquit:

*Hic decor est formæ, moxum decus altius exit  
Mente sua, nec vos nullaque menda regit.*

Impress. Antuerpiæ 1620. in 8.

NICOLAUS Theffalonicensis, natione Græcus, in Expositione Liturgiæ cap. 49. appellat Virginem omnibus modis sanctam, *Immaculatam, semper benedictam*, &c. Quæ epitheta omnimodam puritatem MARIÆ, etiam originariam indicant. Vide Euseb. Nieremb. lib. Exception. cap. 27. folio 518.

NICOLAUS Tuccius, Poëta Italus, in Canticone de Beatissima Virgine MARIA, ita cecinit:

*Quin con occhi del cor contemplo come  
Fossi abeterno à tanta gloria eletta,  
E fatta immune de l'antique fomes  
O liberata al men quando concetta, &c.*

Extat in libro dicto: Il tempio della Imperatrice, &c. fol. 240. Impress. Venetijs 1613. in 12.

NICOLAUS de Tudefchis Siculus, Abbas Sancti Benedicti Monacens. Archiepiscopus Panormitanus & S.R.E. Cardinalis, in Commentarijs super Decretal. tom. 3. titulo de Ferijs, cap. Conquæstus, folio mihi 143. col. 3. num. 3. post alia de Conceptione Virginis MARIÆ, inquit: Et cõtroverfia Fratrum Prædicatorum & Minorum, &c. Pro hoc allego bonum textum & nobilem, in cap. Firmissime de Consec. dist. 4. *Sed credendum est Deum ab hac obligatione absolvisse à principio Beatam Virginem, ex qua debebat carnem humanam assumere: & hæc opinio mihi placet tanquam pia & satis rationalis. Cum enim in ea non solum peccatum originale deleverit; sed etiam omnem pravitatem & concupiscentiam, ad eò quòd peccare non poterat, ut notatur in cap. 2. de Consec. dist. 4. & ibi vide Glosfam quid operetur peccatum originale; & cum ipsum tollat Baptismus, fortius credendum, quòd à principio eam exemit ab illa obligatione originalis peccati. Et audio, quòd hanc opinionem Ecclesia approbaverit; unde hodie fit festum celebre de Conceptione in qualibet Ecclesia, &c. Vide alia ibi. Lib. impress. Venetijs 1617. in fol.*

NICOLAUS Turlot Bellomontanus, Licentiatu atque Præpositus & Canonicus Eccl. Cathedr. Namurcensis, in libro: Thelaurus doctrinæ Christianæ, sive Catechismus Catholicorum; part. 2. Lectiõne 4. fol. 266. hæc habet: Gratiã plena. Quid est hoc: Gratiã plena? Est prima, eaque maxima laus, quam B. MARIÆ Virgini tribuimus, dicimusque quòd sit gratiã plena, ex eo quòd nullam unquam contraxerit peccati maculam sive originalis, sive actualis, &c. Impress. Montibus 1653. in 4. regali, & Gallicè Rothomagi 1647. in 4.

NICOLAUS Vernulæus, Collega Parcensis Sacræ Theologiæ Licentiatu, Historiographus Regius, tomo 2. Orationum Sacrarum in festa Deiparæ Virginis & aliquorum Divorum, folio 405. *Orat. primam panegyricam in Conceptionem Virginis MARIÆ. Item, de eadem Conceptione Virginis MARIÆ Orationem secundam. Et extant à fol. 405. usque 430. Lib. impress. Colonia 1639. in 8.*

Item, recepi aliam manuscr. ab eodem Auctore pro *Immaculata Virginis Conceptione*, quæ incipit: Cum arduum omnino, &c. Item, in alia Ora-

tionem, sub titulo: Panegyrica æternæ memoriæ & famæ Joannis Duns - Scoti Doctoris Subtilis, fol. 22. Quòd Joannes Duns - Scotus fuit propugnator acerrimus puritatis Virginis. Et fol. 26. ait: *Cum Immaculatam Deipara Virginis Conceptionem* fremendentibus Adversarijs ita disputando in Scholarum pulpitis asseruit ac sustinuit, ut stare penè per Scotum tantæ Virginis honor existimaretur, &c. Latè agit deinceps de mysterio per totam Orationem. Impress. Montibus 1644. in 8.

NICOLAUS le Ville Atrebatensis, Prior Cœlestinorum Heverlensium, in libro: Hieroglyphica Mariana, à fol. 284. latè agit de *Immaculata Conceptione & Virginis à peccato originali præservatione*, atque de Tractatu Dionysij Fabri Heverlensis & Crespetij. Impress. Lovanii 1660. in 8.

NICOLAUS de Wamillies, Prior Conventus Villariensis Ord. Cisterc. in Sermonibus suis qui incipiunt: Dilectus meus candidus, electus ex millibus, &c. Verba ista scripta sunt, &c. in Sermon. de Assumptione: Regina ingressa est domum, &c. sic inquit prope finem: Constat autem per seriem sacræ Scripturæ, quòd B.V. immunis fuit ab omni peccato; quia sic Psalmus: Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus; & B. Bernardus dicit: Quòd tanta gratia sanctificationis in ipsam descendit, quòd non solum sanctificaret eius ortum; sed deinceps ab omni peccato custodiret immunem, &c. Manuscr. in 4. in Biblioth. ejusdem Monasterij.

NICOLAUS Ysambertus Aurelianensis, Doctor Sorbonicus, tom. 1. in 3. part. de mysterio Incarnationis ad quæstionem 27. de Sanctificatione Beatissimæ Virginis latè, à fol. 588. articul. 1. num. 3. Altera sententia, quam loco nostræ propositionis ponimus, est: *Beatissimam Virginem de facto fuisse immunem à peccato originali, &c.*

Item, artic. 2. num. 8. inquit: Quæres, quomodo Beatiss. Virgo fuerit exempta à peccato originali? responderetur id fieri potuisse duobus modis. Primus est, vel illam prædestinando cum Christo Domino ante prævisum peccatum Adæ, eligendo illam efficaciter in Matrem Dei, ob hancque dignitatem eximendo illam ab omni debito proximè incurrendi aliquod peccatum ex singulari privilegio illi ob merita Christi D. concedendo, &c. Lutetia 1639. in fol. magno.

N. le Digne de Condés, &c. Gallus, in libro dicto: La Couronne de la Vierge MARIÆ, folio 6. à tergo: *Conceptionis Virginis*. Et adducit pulcherrimam imaginem Immaculate Conceptionis cum omnibus attributis. Et à folio 7. Hymnum *Conceptionis Virginis MARIÆ Gallicè*, usque ad fol. 33. ubi latè loquitur de ejus præservatione à peccato originali, &c. Item, fol. 34. explicat Hymnum *Ave maris stella pro mysterio Immaculate Conceptionis*. Habet alia usque fol. 44. Impress. Parisijs 1612. in 12.

N. Maître Vigor, Gallus Theologiæ Doctor, Regius Concionator & Archiepiscopus Narbonensis, in libro: Les Sermons & Predications Chréstiennes & Catholiques sur les Symboles des Apôtres, fol. 235. *pro die Conceptionis Virginis nostræ Sermonem latum*, ubi apprime nostram tuetur sententiam. Impress. Parisijs 1577. in 8.

NORBERTUS Germaniæ Primas, Archiepiscopus Madeburgen. Sanctus, Ordinis Præmonstratensis Fundator, ad annum 1129. accepit à Beata

à Beata Virgine vestem candidam, quâ ipse & sub eo militaturi Fratres uterentur in testimonium eius originalis innocentie, ut vitâ, verbo & habitu eius Conceptionem sine macula profiterentur. Ita Moerbetius, tom. 2. Scalæ purpureæ, fol. 132. Vide Verb. Præmonstratens. Marracc. in Fundat. cap. 13. fol. 83. August. Vigman. in Brab. Mar. lib. 1. cap. 5. & in Sabbatis Mar. cap. 7. Philippum Quintanilla, Joannem Paige & Eusebium de perpetuo objecto Conceptionis cap. 7. fol. 36. Rff. D. Simeomo in Theibus Theologicis. Item, præterquam quod recepit illam candidam vestem in memoriam sacre Conceptionis, approbavit & introduxit officium Immaculatae Conceptionis Beatissimæ Virginis MARIÆ, in quo habentur hæc verba: Ave Virgo, Spiritu sancto præservante, quæ de tanto parentis primi peccato triumphasti innocua. Vide Joannem Eusebium de Exception. cap. 26. fol. 439.

NUNUS Alvarez Pereira, Connestabilis, Portugallie Hispanus, in Oppido de Villavitiota templum Conceptionis Virginis MARIÆ novis amplificavit ædificijs. Vide Hippolytum Marraccium in Principibus Marian. verb. Theodosius Brigantia.

## O.

OCTAVIANUS Bessozus Mediolanensis Italus, in libro: Exercitiorum spiritualium super Evangelia totius anni, fol. 197. de Conceptione Virginis Dei Matris MARIÆ, ad illud: Liber generationis Jesu CHRISTI, punctum unum. Impress. 1595. in 8.

OCTAVIANUS Stepharius, sive Stapharius de Incisa, Ordinis Minorum Italus, in festo Conceptionis Immaculatae gloriose Virginis MARIÆ Conceptionem unam.

Item, pro primo Sabbato Cinerum Concionem alteram in qua ostendit MARIAM à peccato originali fuisse immunem, sub hoc titulo: Quâ ratione sacratissima Angelorum Regina metaphoricè navi æquiparetur, quibusque virtutum ac sacrarum prærogativarum ornamentis fulciatur? ibidem fol. 5. con. 1. in libro: Sacra Concionum centuria, &c. Lib. impress. Venetijs 1611. in 4.

OCTAVIUS Burgofortis, Ordinis Carmelitarum Italus, recognovit & illustravit Librum meditationum ac contemplationum Ludovici Libramontis, in quo vocat MARIAM mundi exemplar, criminis omnis nesciam, Matrem plenam gratiæ, Immaculatam, sanctam, cujus Conceptio fuit in mente divina prior abyssis & antequam aquarum fontes erumpere sine macula, intaminatam. Impress. Venetijs 1600. in 4.

OCTOGINTA duo Doctores Parisenses congregati in Conventu Maturiensis septima die Septembris anni 1497. in præsentia totius Universitatis uno ore unaque sententia statuerunt neminem deinceps Universitati adscriptum iri, quin prius se Beatissimæ Dei Genitricis à peccato originali præsertionis assertorem, extremumque propugnatorè pro viribus futurum juramento confirmaret, &c. Verba sunt Henrici Spondan. in eodem an. num. 8.

ODO Abbas, in Sermonario incipiente: Spicas habet Discipulos colligere, &c. in sermone 30. qui incipit: Ingressus Angelus ad Virginem Matrem, postquam dixerat Virginem MARIAM habuisse omnem plenitudinem gratiarum, enumerasset;

sic plenitudines, sic prosequitur: Hæc omnes Virgo singulares habuit plenitudines; quibus si plures inveniantur, referantur necesse est ad istas, quia non differunt ab istis, sed concluduntur in istis. Plenitudine enim cæli, quæ gloria est, plena exiit, quæ cælestem vitam inchoavit primitus, & consummavit feliciter gaudia matris habens cum Virginitatis honore, &c. In Conventu S. Francisci Parisijs manusc.

ODO Antiochenus Patriarcha, scripsit de immunitate Virginis MARIÆ, ut refert Antonius de Leon in Bibliot. classe 11.

ODO Astenensis, contemporaneus Sancti Bernardi, super Psalm. 96. ad illud: Nubes & caligo in circuitu ejus, ait: Verum tuam, Beata Virgo, solus Dei gratiâ madefactam, hanc nubem vocaverim, &c. Istam, & aliam hujus Doctoris auctoritatem ex Psalm. 18. explicat R. P. Eusebius Nieremberg, in suo Sacrosyl. de incontaminata puritate sacratissimæ Virginis MARIÆ, quia si à sola Dei gratia fuit madefacta MARIÆ ergo non à culpa. Lib. impress. cum Operibus Sancti Brunonis Astenensis tomo 3. fol. 46. Venetijs 1651. in folio.

ODO Cameracensis Episcopus, Ordinis S. Benedicti, in Expositione Canonis Missæ distin. 3. postquam vocavit Christum hostiam Immaculatam, inquit: De pura ab omni peccato creditur conceptus & natus: ideo Immaculata, &c. ab Immaculata ergo sumpta est hæc hostia, & ideo & ipsa Immaculata, &c. Vide Eusebium Nieremberg in Sacrosyll. 57.

ODO Cameracensis Episcopus, natione Gallus, de B. Virgine Opusculum quoddam edidit Gratiâ plena prænotatum. Nescio, si sit idem cum antecedente an cum sequente.

ODO Cancellarius Parisensis, sive Gallus, Auctor antiquus, in libro: Flores Sermonum ac Evangeliorum Dominicalium, &c. Sermone Dominicæ 1. Adventus folio 1. inquit: Per montem enim Oliveti intelligitur Beata Virgo per quam Christus venit in mundum: quoniam tria considerantur in monte, firmitas, altitudo & quod manè prius radios solares recipit. Sic Beata Virgo firma fuit in virginitate; quia ut conciperet Virgo, Angelo consensit. Alta per eminentiam vitæ, quoniam super choros Angelorum exaltata est ad cælestia Regna. Radios solis prima recepit, quia donis Spiritum sancti præ cæteris suis illustrata, & prima inter mulieres Virginitatem Domino dicavit. Unde non tantum radios solis, sed & ipsum solem, id est Christum in utero suscepit, ut sub nube carnis à Virgine sumpta, claritas solis à Virgine videretur, quam sine hæc nube humanus aspectus sustinere non posset. Hucusque Odo in hoc Sermone, & nihil amplius habet.

Item, Sermone de Purificatione fol. 36. inquit: Notandum, quod hoc festum tria habet nomina; vocatur enim Purificatio, non quia Beata Virgo indigeret purificatione, quia purissima facta est ex Conceptione Salvatoris; sed quia modo parentum legem voluit adimplere, &c. Lib. impress. Parisijs 1510. in 4. Primò adverte, quod in toto hoc libro nihil aliud habet Doctor iste, quod directè vel indirectè ejus Conceptionem possit respicere: nam quæ habet folio 54. non pertinent ad rem præsentem; vidi & inspexi librum omni diligentia. 2. Nota quod Vincentius Bandellus in Opere 2. de Concept. cap. 21. fol. 36. adducit hunc Auctorem pro sua opinione, citans quendam Sermonem de Beata Virgine. In hoc libro à me visò non est alius Ser-